

CCLX.

Anno 1777. die 5. Septembris. Viennae.

B. Rescriptum R. Mariae Theresiae SS. et OO. Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae missum et ordinans, ut in cambium Statui Militari cessarum plagarum Urbs et portus Fluminensis cum Podbregh et Lopacza, nec non Bona Buccarensia, Carolostadio Flumen versus ad dextram viae Carolinae sita, una cum Civitate Carolostadio immediate Regno Croatiae reincorporentur, et ex neoincorporatis partibus novus, Consilio Regio Croatico subordinandus, Comitatus erigatur.

Maria Theresia etc. Reverendi, Honorabiles, Spectabiles, ac Magnifici item Egregii et Nobiles, nec non Prudentes, ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti! Tam ex Intimationibus Consilii Regii, quam et Publica fama notum est alioquin fidelibus Regnorum istorum nostrorum SS. et Ordinibus, cessante cum Exordio anni proxime praeteriti Commerciorum Consilio Aulico, adeoque pertractione obsectorum Commercialium juxta Benignam mentem nostram ad respectiva Politica Provincialia et Aulica Dicasteria recidente, Nos pro materna nostra in publica Regni Hungariae et Partium ei adnexarum commoda, incrementumque hactenus etiam praehabiti in his Commericii sollicitudine Benigne resolvisse, *ut Urbs et Portus Fluminensis, nec non Bona Buccariensis, in quantum illa Carolostadio Flumen versus proficiendo ad dextram viae Carolinae sita sunt (Buccari, Buccaricza et Porto-Ree, tamquam ad laevam dictae viae Carolinae sitis pro Statu Militari relictis) ipsa praeterea Civitas Carolostadiensis in Liberam, Regiamque Civitatem evehenda, immediate Regno huic Croatiae incorporentur; ex taliter porro neoincorporandis Partibus novus Comitatus erigatur et in omnibus ad normam aliorum Regni Comitatum, iis, quae mox declarandae directioni in Puncto Commerciali immediate reservarentur, exceptis, Regio Regnorum horum Consilio subordinetur, ejusque Jurisdictioni subsit; non absimiliter, quod res Commercij in Districtu et Portu hoc Flumiñensi ex ipsa magis ordinata atque Systematica manipulatione ad Statum florentiorem evehatur, urbi et Portui huic Egregium, Fidelem Nobis Dilectum Josephum Mailáth de Székely, antehac Cameralem Nostrum Consiliarium Aulicum et Referendarium, attributa Ei Intimi Consiliarii nostri Dignitate, in qualitate Gubernatoris, et cum pari, ac Comes a Zinzendorf actu Tergesti obtinet, activitate, per nos Benigne praefectum, simulque pro Su-*